

licet sic non fundet, in dict. leg. Emptione. 3. column. in fin. Ad unum tamen adverte circa superiora, quod bene probatum est, quod ex contractu simulato, traditione secuta, non transit possessio in accipientem: Sed dubium est, quod ab aliquo in hoc articulo non reperio decisum, an tradens eam amittat, vel apud eam remaneat? In quo breviter teneo, quod si res est in conspectu, vel prope, ut utramque possessionem retinet, & conservat, argumento Glossa, & communis doctrinae, in leg. i. ff. de Acquir. possess. & supra late dixi. Si vero sit absens a re, retinebit tamen possessionem civilem, & amittit naturalem, non virtute contractus, vel traditionis, sed virtute absentiae, sicut perderet si nunquam alteri traderet; argumento text. in dict. l. Clam possidere. §. Qui ad mundinas. ff. de Acquir. possess. text. Gloss. commun. opinio, in l. Possessionem pupillorum. eod. titul. & isto casu adhuc ille, cui res fuit tradita, nullam quaereret possessionem etiam naturalem absente domino; quia non habuit nec praesumitur habere animum possidendi, ut supra probatum est. Vel aliter & 2. dicas, quod semper & indistincte tradens habeat utramque possessionem, civilem animo suo, naturalem corpore & custodia ejus, cui fuit tradita, argumento text. in leg. 3. §. Quod si servus in leg. Clam possidere. §. Qui ad mundinas. ibi. Neminem reliquit, & in leg. Si colonus, & in leg. Si id quod, §. 1. ff. de Acquir. posses. in hoc notabilis lex Cum propria. Cod. Si quis alteri vel sibi. ibi: Custodia sua.

29. Quarta conclusio singularis & subtilis est. Quod ex contractu inutili & invalido de jure non potest transferri possessio per actum fictum: Unde ex donatione inter virum & uxorem, vel ex contractu alienationis rei prohibita alienari, vel ex contractu simulato, & similibus invalidis contractibus, non potest transferri possessio per actum fictum: ita probat expressè text. in dict. leg. 1. §. Si vir uxori, supra eodem. ibi: Quoniam res facti, &c. ubi praesupponit veram traditionem praecessisse, ergo non sufficit ficta. Probat etiam ex ratione illius text. qui fundat se ex eo quod factum verum & naturale traditionis non potest infirmari jure civili: sed ficta traditio, cum consistat in jure, bene potest improbari ab ipso jure civili, sicut improbat & annullatur ipsemet contractus: ergo bene & subtiliter probatur ibi, quod ex contractu nullo non transit possessio per actum fictum: Et in expresso istam conclusionem tenet ibi Paul. de Castr. 1. column. in fin. num. 5. & dicit, quod ita fuit determinatum in publica disputatione per Argentinum filium Rainerii, de For. Istam etiam conclusionem tenet ibi Aretin. 2. column.

in fin. Alexand. uno verbo, in 3. column. num. 18. & tenet Jas. ibi nimis commendando, 3. column. 3. notat. Vicent. ibi 8. column. in fin. & istam conclusionem tenet expressè Bald. in leg. Ex testamento, in fin. Cod. de Fideicommiss. idem Bald. cap. 2. 2. column. prope finem, de feudo dato in vicem legis commissoriae, in lib. 2. Feudor. licet in fine relinquat cogitandum. Et primò ista opinio Pauli & communis confirmatur, quia licet in acquisitione possessionis per actum verum non requiratur causa, tamen in acquisitione possessionis per actum fictum bene requiratur causa vel titulus, ut est Glossa singularis juncto text. in leg. Quod meus, in gloss. 11. in princip. ff. de Acquir. posses. & ibi Bart. Paul. & communiter DD. & dixi in 2. superiori conclusioni principal. ergo in nostro casu, cum iste titulus vel contractus sit ipso jure nullus, habetur pro non titulo, & est perinde ac si nulla causa vel titulus intervenisset, argumento text. & ibi notat Bartol. & DD. in leg. Nec ullam. §. Omnibus. ff. de Petit. heredi. Secundò confirmatur ex notabili sententia & theoricā Bald. in leg. Non dubium. Cod. de Legib. 8. column. num. 18. ubi dicit, quod quando contractus vel titulus est immediata causa possessionis; tunc, si non tenet nec valet contractus, non transit possessio, argument. textus in leg. Si aliquam rem, infra eod. & in leg. Si quis sanctè, in fin. versic. Siquidem. num. 1. supra eodem & illam sententiam Bald. sequitur & commendat ibi Jas. in dict. leg. 1. §. Si vir uxori, supra eod. 2. column. in fin. & ibi Jason. 3. column. 2. notabili. Sed quando in aliquo contractu ponitur vel intervenit clausula constituti, vel alius actus fictus, tota virtus possessionis & intentio partium dependet ab ipso contractu; quia clausula illa accessorie ponitur, & non principaliter: ergo si contractus non tenet, non potest transferri possessio; quia illa clausula vel actus fictus non habet effectum: licet secus sit quando intervenit traditio vera; quia transfertur possessio; quia tunc contractus non est immediata causa acquisitionis possessionis, sed ipsa vera & actualis traditio, argumento dict. leg. ff. Si vir uxori & iste est sensus Bald. & DD. ubi supra: Tertio confirmatur sententia & Pauli & communis tali fundamento notabili: quia quando contractus principalis non valet nec tenet, similiter non valet confessio, vel alia quaelibet clausula possita in tali contractu: text. est singularis in leg. fin. ff. de Constit. pecun. quem ibi ad hoc notat Paul. & DD. ad hoc illum textum dicit singularem Bald. in l. Si absentis fin. column. in medio. Cod. Si cert. pet. & ad hoc etiam eum notat idem Bald. in Rubr. Cod. de Constit. pecun. 2. column. & illum text. ad hoc dicit singular. Jas.

Jason. in dict. §. Si vir uxori, 4. column. numer. 19. idem Jason. in leg. ceteri Consilio. §. Si nummos. ff. Si certum petat. 7. column. num. 34. Idem Jason. in leg. Si ita stipulatus, §. Chrysogonus. 17. column. num. 55. ff. de Verborum oblig. idem Jason. in leg. Non dubium. Cod. de Legib. penult. column. num. 56. Idem Jason. in leg. Ex testamento. Cod. de Fideicommiss. Illum etiam text. dicit singularem Socin. in leg. 3. §. Incertam, supra isto tit. fin. column. in prior cip. facit etiam text. notabilis qui non allegatur in leg. 1. Cod. de Condit. ob causam, & istam regulam & doctrinam ponit Gloss. ordinaria notabilis, licet non alleget illum textum, in leg. Si patronus. §. Patronum, in verb. Fabiana. ff. Si quid in fraudem patroni, quam ad hoc reputat singularem Angel. de Aretin. in §. Fuerat, instit. de action. 11. column. num. 16. & ibi Jason. 15. column. num. 76. & ante eos illam Gloss. ad hoc commendat Bald. in leg. 1. Cod. de Inoffic. donation. 3. column. in fin. num. 44. idem Bald. in leg. Imperator. la. 1. ff. de Statu hominum 3. column. post medium. Commendat etiam Socinus in dicta leg. 3. §. Incertam. fin. column. in princip. supra, isto titul. Facit etiam regula text. in leg. Cum principalis. ff. de Regula jur. text. in leg. Non dubium, cum materia, Cod. de Legib. Ergo cum contractus sit ipso jure nullus, clausula constituti vel quilibet alius actus fictus in eo positus similiter erit nullus, & per consequens nulla transfertur possessio. Et ista videntur inevitabiliter fundare sententiam Pauli & communem. Sed his non obstantibus, contra hanc sententiam & conclusionem Pauli & communem est Glossa singularis & expressa in leg. 2. in gloss. fin. Cod. de Dot. caus. non num. ubi dicit, quod sicut donatio inter virum & uxorem confirmatur morte, mediante traditione vera; ita mediante ficta traditione: quam Gloss. ad hoc notat & dicit mirabilem Bartol. ibi: & tenet ibi Cin. 2. oppos. & Joan. Faber. in suo Breviar. & idem tenet ibi Angel. de Aretin. valde commendando, & tenet Bald. in princip. & Salycet. 4. oppos. & per illam Gloss. ita etiam tenet Bartol. Bald. Salycet. & Fulgos. in leg. Pupinnus. ff. de Donat. inter vir. & uxor. & est de mente Cin. Salycet. & omnium DD. in leg. 1. Cod. de Donat. ante nupt. Doctor. Segur. in repetitione leg. Unum ex familia. §. Sed si fundum, 8. fol. 3. column. versic. Ex hoc ego infero. Et certè ista est communis opinio: pro qua videtur facere text. in leg. Cum hic status. §. Si vero autem. ff. de Donat. inter vir. & uxor. ubi, si maritus remittit obligationem uxori, qua tenebatur, talis donatio confirmatur morte; & tamen ibi non intervenit traditio vera, sed ficta; Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

ergo illa sufficit. Sed ille textus non rectè probat, quia loquitur in casu quo nulla traditio vera potest intervenire, puta, in remissione obligationis: nec igitur de donatione alicujus rei corporeae; sed tantum de donatione obligationis consistentis in jure: Unde aliter non potest tradi quam per remissionem, per acceptationem: & iste est verus sensus, & intellectus illius textus: Praeterea pro illa Glossa & communi opinione videtur facere text. subtilis in leg. 3. §. Debitorem, versic. Ceterum eod. titul. ubi est casus, quod si maritus jusserit debitorem suam solvere uxori quantitatem sibi debitam, & debitor solvit, debitor remanet liberatus, & uxor videtur talem pecuniam habere ab ipso marito; unde donatio statim non valet, sed morte confirmatur; ergo ficta traditio non sufficit: Sed ad illum textum posset responderi primò, quod textus non aperit an confirmetur donatio: Secundò, quod uxor verè accipit rem ab alio, licet fictè videatur habere à marito, propter mandatum factum debitori.

Et sic ex praedictis patet quod istae opiniones communes ad invicem contrariantur, nec veritas reperitur bene decisa. Sed pro vera solutione & concordia dicas: quod si actus vel contractus est omninò nullus, sine aliqua spe convalescentiae; tunc ficta traditio nihil operatur; nec ex ea transit possessio, nec aliquod jus: & ita procedit superior nostra quarta conclusio bene fulcita & confirmata, & sententia Pauli & communis: Si tamen actus vel contractus est nullus, tamen habet spem convalescentiae; tunc ficta traditio in tali contractu idem operatur quod vera, & ex ea transfertur possessio: & ita intelligatur & procedat Glossa illa singularis, & communis opinio in dict. leg. 2. Cod. de Dot. caut. non num. Et in expresso istam concordiam & doctrinam posuit & tenet solus Socin. & non alius, in dict. §. Si vir uxori, 3. column. in medio. versic. Adverte tamen & refert & sequitur Doctor Palac. Rub. in sua repet. rub. de donat. inter vir. & uxor. fol. 56. §. 76. 1. column. versic. Ista dudum me fecerunt dubitare. Et certè ista est vera & notabilis concordia: pro qua considero textum notabilem in leg. Sub conditione in fin. ff. de Solution. ubi habetur, quod licet nuda & simplex traditio sine titulo vel causa non transferat dominium, ut in leg. Numquam nuda, supra, de Acquir. rer. domin. cum materia; tamen intelligitur, quando talis titulus vel causa non subest re, nec spe, & sic de praesenti, nec de futuro seculis verò si subest in spe, ut si contractus sit conditionalis, & conditione pendente, dominus tradit: erat obligatus sub conditione, quia interim etiam transit in eum dominium, cum

contractus non sit omnino nullus, sed habet spem validitatis & confirmationis: & ad hoc illum textum notat & commendat ibi Bartol. in 2. column. num. 9. & ibi tenet Paul. de Castr. & communiter DD. Ac idem est text. in leg. Dotis fructus, versic. Quid ergo cum sequenti. ff. de Jure dot. & ibi notat Bart. Bald. & DD. & istam doctrinam & conclus. tenet Glossa, ordinaria notabilis in leg. Contractus, Cod. de Fid. instrum. in vers. Vel id quod emptoris in princip. & ibi expressè Bald. penultim. column. in fin. num. 15. Paul. de Castr. 4. column. in fin. num. 12. Salycet. 3. column. 3. quest. & ante eos Cin. 2. column. 4. quest. Petr. 2. column. in medio, & tenet & commendat Socin. in leg. Si ante nuptias. ff. Solut. matrimon. fin. column. in fin. facit etiam bonus & expressus text. in leg. Quod Servius. ff. de Condit. ob causam. Sic ergo dicamus in proposito: quòd licet in acquirenda possessione per actum fictum requiratur titulus vel causa; tamen sufficiat titulus vel causa quæ habet spem confirmationis.

31 Ex qua concordia & Doctrina sic confirmata primò infero, quòd ex contractu alienationis rei minoris sine debita juris solemnitate, vel ex contractu alienationis rei prohibita alienari, vel ex contractu omnino simulato, vel ex contractu mulieris sine viri licentia, vel ex similibus à jure invalidis, non potest transferri possessio per actum fictum; quia contractus vel titulus est omnino nullus sine spe convalescentiæ; unde eodem modo est ipso jure nullus actus fictus in eo interpositus, per jura & rationes suprà deductas.

Secundò infero, quòd ex contractu donationis inter maritum & uxorem, licet sit nullus ipso jure; tamen quia habet spem confirmationis & convalescentiæ, putà per mortem donantis, vel aliis modis, potest optimè transferri possessio per actum fictum; ut illa ficta traditio operetur eosdem effectus in tali contractu, quos vera: quia illa ficta traditio non est omnino sine causa, sed recipit fomentum ab illa spe confirmationis probabilis, per jura & rationes superiores.

Tertiò infero, quòd si venditio, vel alius contractus habilis ad translationem domini fiat sub conditione, quod pendente conditione dominus qui contraxerit poterit transferre possessionem & dominium etiam per actum fictum; cum ibi non deficiat omnino causa & titulus, propter spem confirmationis: & ista est nova & subtilis extensio ad textum in dict. leg. Sub conditione de solut. & ad jura superiùs allegata.

Quartò infero singulariter maximam extensionem & declarationem ad leg. 17. Taur. quæ

disponit, quòd si pater vel mater melioravit filium vel descendentem in tertio bonorum, & tradidit ei possessionem rei, vel rerum in tertio contentarum; talis melioratio non possit revocari, quia illa lex debet intelligi, nedum quando traditio est facta per actum verum, sed etiam quando est facta per actum fictum, ut dixi super ea.

32 Item in materia nostra principaliter quæro: Qualiter, & per quos actus quærat possessio? Et in primis dico, quòd quæritur corpore & animo; & sic requiritur actus corporeus cum animo & voluntate quærendi possessionem, & unum sine alio non sufficeret: text. est in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. cujus verba sunt: Et adipiscimur possessionem corpore & animo, nec per se animo, aut per se corpore, text. in leg. Quemadmodum, eod. tit. text. in leg. 1. §. Adipiscimur, eod. tit. text. in eadem leg. 1. §. Per procuratorem, & in §. Si jusserim, text. in leg. 3. §. in amittenda eod. tit. text. in leg. Licet. Cod. eod. tit. text. in leg. Si pignus mihi traditum, in fin. ff. de Pignorat. actio. text. in leg. Ejus qui in provincia, §. fin. versic. Quoniam. ff. Si certum petatur: text. in §. Possidere, versic. Nec ulla dubitatio est, Instit. de interdicitis, & istam regulam & doctrinam ponit lex 6. tit. 30. 3. part. Et ratio vera & mentalis, per quam actus corporeus requiritur, est: quia lex humana positiva in tantum justior, & rationabilior est, in quantum se conformat cum jure naturali, vel divino: ita Beatus Augustinus in lib. 3. de Libero arbitrio. Isidor. 1. Etymologiarum. Sanct. Thom. 1. 2. quest. 95. art. 2. Archidiaconus in cap. Jus naturale, 1. distinct. Sed de jure naturali possessio quærebatur per apprehensionem, ut in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. Ergo hodiè similiter ista apprehensio & actus naturalis requiratur. Item etiam ratio vera & juridica, per quam ultra actum naturalem requiratur animus & voluntas, ultra DD. potest esse; quia talis actus naturalis vel corporeus est nimis generalis, & ex multiplici causa & effectu potest fieri; unde oportet quòd reguletur, restringatur & declaratur secundum animum & intentionem gerentis: & credo quòd in hoc fundati sunt Consulti & Legislatores, argumento text. in leg. Qui jure familiaritatis. ff. de Acquirend. posses. text. & ibi Bart. & DD. in leg. 1. §. Hoc interdicit. ff. de Itinere actuque privato, text. in leg. Non omnis. ff. Si cert. petat. text. in l. Obligationum substantia. §. Non satis. ff. de Actionib. & obligation. text. in l. Concellaverat. ff. de His quæ in testament. delent. text. in leg. Cum tale. §. fin. ff. de Condit. & demonstrat. text. in l. Legata inutiliter. ff. de Legat. 1. text. in leg. Legata inutiliter. ff. de Adimend. legat. text. in cap. Cum Ecclesia Sutrina, de causa poss.

possess. & prop. & ibi Gloss. ordinar. Innocent. & communiter DD. Et ex hoc oritur illa communis practica, qua utuntur Tabelliones in scriptura possessionis; qui dicunt, quòd in sigillum possessionis emptor vel alius ingressus est talem fundum, & deambulavit per eum, cæcidit ramos, vel quid simile fecit, ut colligatur animus possidendi.

33 Et ex his maxima cum ratione reprobo novam summam & opinionem Aretin. in leg. Si me vacuam ff. de Acquirend. posses. 1. column. 3. notabil. ubi tenet, quòd omnia jura dicentia quòd solo animo non quæritur possessio, sed requiritur actus corporeus & animus acquirentis: intelligantur quando non concurrunt utriusque, scilicet tradentis, & acquirentis; sed solum animus acquirentis: sed si concurrerent animus volentis transferre possessionem, & animus acquirentis; tunc sine aliquo actu corporeo quæritur possessio: Quod reputat novum & subtile in materia, nec reperio ab alio relatum: sed ante Aretin. hoc voluit Cuman. uno verbo, in leg. Quod meo. ff. de Acquirend. posses. penultim. column. allegando textum in dict. leg. Si me in vacuam. Sed salva eorum pace, ista opinio & conclusio est falsa, quia jura per me superiùs adducta expressè pro forma requirunt actum corporeum, & animum quærendi possessionem: unde non sufficeret animus utriusque sine actu corporeo. Secundò & in specie: quia considero, quòd in quærenda possessione per visum vel aspectum oculorum, requiritur quòd ibi concurrat animus & voluntas tradentis possessionem, & similiter acquirentis, nec sufficeret visus & aspectus oculorum cum animo & voluntate quærentis possessionem; text. in leg. Quod meo. §. Si venditorem. ff. de Acquirend. posses. & ibi commun. opin. in leg. 1. §. Si jusserim. eod. tit. & latius infrà suo loco dicetur: ergo si sola voluntas & animus tradentis cum animo, & voluntate quærentis sufficeret, non esset necesse quòd interveniret visus aspectus oculorum, qui est actus fictus acquisitivus possessionis: & est inconvincibile fundamentum. Tertiò pro hac mea sententia & conclusione contra Aretin. & Cuman. considero text. in cap. 1. de Consued. reit. feud. in usib. feud. ubi disponitur specialiter in causa feudali, quòd si dominus dixit alicui coram Paribus Curia, vade in possessionem illius fundi, & teneas illum pro feudo: transfertur possessio ejus, licet non tangat rem, nec interveniat alicuius actus corporeus: Si ergo de jure sufficeret animus & voluntas utriusque (scilicet tradentis & accipientis) in quærenda possessione; frustra ibi hoc de novo induceretur in feudo. Et in terminis istam sententiam & conclusionem reperio quòd tenet Bald.

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.

in cap. Cum Ecclesia Sutrina de caus. posses. & prop. 2. column. num. 5.

34 Ulterius procedendo in materia dico, quòd conclusio, superior & fundamentum capitale in materia, quod habet, quòd in acquirenda possessione requiritur actus corporeus; debet intelligi, verus & naturalis, vel fictus loco ejus subrogatus: de quolibet particulariter videamus. Et dico, quòd actus verus & naturalis est duplex: Primus, apprehensio manuum; & iste cadit in rebus mobilibus: textus est formalis & expressus in leg. 1. §. Adipiscimur. ff. de Acquir. poss. ibi: Aliquid in manu ponat, per quem istam doctrinam & conclusionem ponit Paul. de Castr. in leg. 1. ejusdem tit. 1. col. versic. Item nota. & ibi Franc. de Aretin. 1. column. num. 2. Alexand. 2. column. notab. Vicent. Jas. & communiter Moderni. Secundus actus verus & naturalis est, pedum positio, & sic ingressus & insistentia rei: & iste cadit in rebus immobilibus: text. est in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. & in leg. 3. eod. tit. & ibi communis opinio. Pro cuius perfecta intelligentia dico, quòd in tantum est verum, quòd per ingressum & pedum positionem quæritur possessio, ut sufficiat quamlibet partem vel glebam fundi intrare, nec est necesse omnes ejus partes deambulare; text. est notabilis in dict. leg. 3. cujus verba sunt: Non utique ita accipiendum est, ut qui fundum possidere velit, omnes glebas ejus circumambulet; sed sufficit quamlibet partem ejus fundi introire, dum ea mente & cogitatione sit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere. Et ratio vera & mentalis est: quia cum fundus sit unus, indivisus, & continuus, nec habeat partes distinctas & separatas; ratione utilitatis & necessitate inductum est, ut sufficiat tangere & intrare quamlibet partem fundi; aliàs esset nimis difficile omnes partes tangere: & conveniens fuit acquisitionem & possessionem totius fundi referri ad certum subjectum, vel partem, cujus possessione apprehensa, videatur quæsitā in toto fundo: & in hoc se fundat decisio illius notabilis legis 3. & de mente omnium DD. ibi, & in terminis istam rationem ponit Innocentius uno verbo. in cap. Dilectus de cap. monac. 2. col. Anton. in cap. In litteris, de restit. spoliat. 10. column. num. 30. Anch. in regula sine possessione de regulis juris in 6. 15. column. num. 11. facit bonus text. & ibi Bart. in leg. Vulgaris. ff. de Furtis, in leg. Si cui res. ff. de Leg. 2. textus optimus in proposito in cap. 2. de Consuetudine.

Adde tamen singulariter, quòd talis apprehensio & ingressus partis solum est verus & naturalis actus respectu partis occupatæ; sed respectu aliarum partium fundi non dicitur actus naturalis, sed fictus, & apprehensio ficta: quia

alias frustra dubitaret Consultus, ad censeatur in aliis partibus fundi quæsitæ possessio? Ita singulariter tenet & declarat Socini in dict. l. 3. 2. column. 4. notabili. Vicent. in §. Ex contrario ejusdem legis. 3. column. num. 5. nec alius hoc tangit nec declarat. Sed salva eorum pace, ego teneo contrarium, imò, quod etiam in aliis partibus fundi censeatur intervenisse actus verus & naturalis, & non censeatur fictus: quia considero, quod ille actus verus & naturalis qui intervenit in parte fundi, & virtus & effectus ejus extenditur ad omnes alias partes & sic virtualiter & extensive censeatur aliæ partes possidere verè, & naturaliter, & non ficto modo; & per consequens quidquid dispositum & statutum est in actu naturali, & possessione naturaliter quæsitæ, habet locum in nostro casu, & sic in aliis partibus fundi: & istud est quod propriè & interminis voluit text. in dict. leg. 3. notè & subtiliter per me declarata: & hoc videtur voluisse Bald. in cap. 2. de Convent. r. col. num. 2. ubi dicit, quod illud quod derivatur ex aliquo, & est ei annexum, sapit naturam conereti, ut gleba alicujus fundi.

Ex quo deducitur & inferitur, quod si lex nova vel regia excluderet omnes actus & modos fictos quærendi possessionem, non censeatur exclusus iste. Secundò inferitur, quod licet lege vel statuto caveatur, quod procurator non possit quærere possessionem per actum fictum; tamen benè posset quærere per actum naturalem in parte fundi, ut per hoc videatur etiam quærere in aliis partibus. Tertio deducitur & inferitur, quod licet per visum vel actum fictum non possit quis quærere possessionem nisi concurrente voluntate tradentis, ut infra dicitur; tamen isto casu per ingressum unius partis fundi potest quis quærere possessionem in omnibus aliis partibus fundi, nulla concurrente voluntate tradentis. Quarto & generaliter deducitur & inferitur, quod omnia illa quæ sunt disposita à jure in possessione quæsitæ vel quærendæ per actum verum & naturalem, & effectum ejus, habebunt etiam locum in aliis partibus fundi non apprehensis vel occupatis: quia virtus & effectus adhibitus in parte fundi occupata, virtualiter extenditur ad alias partes.

36 Sed attende, quod contra dispositionem text. in dict. leg. & ejus conclusionem sic declaratam, quæ habet, quod per ingressum partis quæritur possessio totius fundi: facit textus notabilis & subtilis in leg. 1. §. Julianus ait. ff. de Trin. actuque privat. ubi dicitur, quod pro illa tantum parte fundi in qua quis ingressus est, competit interdictum: & sic præsupponit, quod ad alias partes non extenditur possessio: cujus

verba sunt: Julianus ait: Quoadusque ingressus est fundum, eo usque ei competere interdictum quod verum est: Sed ad illam, textum vera & notabilis solutio & intellectus est: Quod ibi loquitur in quærenda servitute vel jure super fundo alieno, & quærenda quasi possessione ejus, alio existente in vera & actuali possessione: quæ quidem quasi possessio juris, vel servitutis, solùm quæritur in parte fundi in quam ingressus fuit; non vero in aliis partibus: quia in eis non habuit animam quærendi possessionem, nec dominus vel possessor fundi habuit animam persequendi, qui quidem animus præsumitur ex actu vel usu limitato usque ad certam partem fundi: unde, merito in aliis non est quæsitæ possessio: In dicta vero leg. 3. & conclusione superiori, ille qui ingressus est certam partem fundi, aperte habuit animam quærendi possessionem etiam in aliis partibus, & præcessit voluntas possessoris fundi tradentis; vel res vel fundus vacabat: & hoc probat textus in dicta leg. 3. dum dicit, dum ea mente & cogitatione hoc fit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere. Et iste est verus & realis sensus & intellectus prædictorum jurium: & in terminis ita voluit Glossa ordinaria in dict. §. Julianus ait, & ibi Bartol. Alber. & Angel. de Perus. qui summè notant & commendant illum textum in sua principali decision. & ita etiam videtur tenere & declarare Bartol. in leg. Cum de in rem verso. ff. de Usuris. penult. column. numer. 10. idem Bartol. in Authent. qui rem fin. column. Cod. de Sacros. Eccles. Cuman. in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. 2. column. prope finem, & ibi Alexand. penultim. column. in medio. Vincent. 16. column. num. 38. Abb. notabiliter in cap. Cum olim. de Præscriptio. penult. column. ultimo notabili. Cæpola in tract. de Servit. rustic. præd. cap. 1. de Servitutibus itineris. 9. column. versic. & nota diligenter.

37 Ex quibus infero singulariter, quod si quis vult quærere aliquod jus, puta, usumfructum, vel aliam quamlibet servitutem in aliquo fundo de voluntate & consensu domini possidentis fundum, quod acquireret illud jus, servitutem, & quasi possessionem ejus per ingressum vel usum in qualibet parte ejusdem fundi, per supra dicta. Pro qua sententia facit text. in leg. 3. versic. Dare. ff. de Usufruct. ubi probatur, quod per ingressum fundi de voluntate concedentis, quæritur jus usufructus: non ergo est necesse, quod in omnibus partibus ingrediatur, sed sufficit attingere quamlibet ejus partem: & per illum text. in dict. §. Dare, ita tenet & declarat Innocent. in cap. Litteris de restitut. spoliat. 2. column. 6. tenet etiam & declarat Alexand. in dict. leg. 3. penult. column. Facit etiam text. in leg. Si

sti-

stillicidii, §. fin. Cum l. Sequenti. ff. Quemad. servit. amittant. ubi dicitur, quod si quis habet servitutem in fundo alieno, conservat & retinet quasi possessionem ejus per usum partis fundi: idem etiam probat text. in leg. Is qui usumfructum. ff. Quibus modis ususfructus amittatur, textus in leg. Arboribus. §. de Illo. ff. de Usufructu, & ibi communiter DD. Et si dicas, quod ista jura loquuntur in retinenda & conservanda servitute jam quæsitæ, & in esse deducta, & quasi possessione ejus; non vero in acquirenda de novo: Respondeo, quod eadem ratio videtur in utroque casu; cum non tractetur de præjudicio alterius possessoris fundi, sed de ejus voluntate & consensu quæratum vel retineatur. Et ex ista consideratione & ratione, & non alia, hoc expressè tenet Bart. in dict. leg. 3. fin. col. ff. de Acquir. posses. ubi dicit, quod si quis vult quærere jurisdictionem vel quasi possessionem ejus in aliquo territorio vel castro, illam quærit si exerceat solum unum actum de voluntate & consensu domini habentis ipsam jurisdictionem: aliàs si vult eam acquirere ex propria persona sine consensu & voluntate domini, tunc per usum & exercitium alicujus actus jurisdictionis non acquirit totam jurisdictionem, sed tantum quærit jurisdictionem & quasi possessionem illius certi actus. Quam sententiam & conclusionem Bartol. sequuntur indifferenter omnes DD. in dict. l. 1. de Acquir. posses. idem Bart. Alber. Ang. & communiter DD. in dict. l. 1. §. Julianus ait. ff. de Trin. actuque privat. quem legit Bart. in §. Præcedenti.

Advertendum tamen, quod contra communem intellectum quem assignavi ad text. in dict. l. 3. de Acquir. posses. & ad text. in dict. §. Julianus ait, se offert subtilis difficultas: Nam sequeretur, quod si quis emeret rem à

non domino bona fide, vel alio titulo, haberet & intraret fundum in certa parte pro quærenda possessione; non posset præscribere alias partes, nec eas possidere: quia tunc possessio non est quæsitæ de voluntate domini. Sed notabiliter respondeo, quod imò quæritur possessio & præscriptio in aliis: Nec obstat text. in dict. §. Julianus, & communis intellectus ejus: quia debet intelligi respectu servitutis, quæ potest respicere magis unam partem fundi; secus verò in dominio, quod respicit uniformiter totum fundum: Quod declaro sic: nam quando agitur de quærenda servitute, ingressus non videtur habere animam possidendi in aliis partibus; sed quando agitur de quærendo dominio, ingressus videtur habere animam possidendi totum fundum, & ita præsumitur; ideo per ingressum partis quæritur possessio in omnibus, & per consequens dominium & præscriptio.

38 Unum tamen est, quod licet per ingressum alicujus glebæ vel partis fundi censeatur quæsitæ possessio totius fundi, ut supra dictum est; tamen illud est verum, & procedit, quando totus fundus est unicus & contiguus. (m) Sed necessario quæro: Quid si sunt plures fundi diversi, & distincti? an per ingressum unius fundi, vel partis ejus, cum animo & voluntate quærendi omnes, acquiratur possessio omnium? In quo subtili & necessario articulo resolutivè dico sic: quod si alii fundi sunt ejusdem naturæ & quantitatis, ut plures fundi rustici ad arandum & seminandum; per ingressum unius, vel partis ejus, acquiruntur cæteri etiam si inter se divisi sint per limites, sepes, vel fossata; quia illa non est propria & realis divisio, ut facit plures diversos & distinctos fundos de per se, sed fit tantum gratia commodioris culturæ, argumento text. in l. Cajus Sejus. §. Titius. ff. de Legatis 2. ubi, si testator simpliciter

(m) Confirmatur noviter & subtiliter, quia servitus afficit & respicit aptitudine & effectu totum fundum, vel quamlibet ejus partem & glebam, tam ex parte utentis, quam patientis: ideo merito, quando agitur de ea quærenda mediante præscriptione contra voluntatem domini ipsius fundi servientis, coarctatur & restringitur, ut non extendatur ad alias partes: Quando verò agitur de quærendo dominio mediante præscriptione, per ingressum partis quæritur possessio & præscriptio in toto fundo; quia uniformiter & virtualiter respicit totum fundum pro indiviso, & non magis unam partem quam aliam; & concurrunt voluntas ipsius acquirentis & ipsius concedentis, & militat ratio & propria decisio text. in dict. l. 3. de Acquir. posses. Rursus etiam confirmatur, quia illud quod operatur & disponitur à jure in titulo concessio & habito à domino respectu domini quærendi, habet locum in titulo habito à non domino respectu quasi domini quærendi, ut in leg. Clavibus. ff. de Contrah. empt. & in leg. Qua ratione. §. Si quis. ff. de Acquir. rerum dom. & in leg. Eum qui. §. 1. ff. de Supplicaria, & in §. Item si quis instit. de rerum divis. & in §. Ex his per quas personas, & utrobique communiter DD. & notat. Pomponius. §. Si jussu. ff. de Acquirend. posses. & in §. Sed iste quidem, Institut. de actionib. Sed respectu domini per ingressum partis quæritur possessio & dominium in toto fundo: Ergo similiter respectu quasi domini.

Anton. Gom. ad Leg. Tauri.